



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus, Quæ Religiosum Constitvunt, vel ad illum disponunt

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1625

XII. Vtrùm ante professione[m] necessarius sit integer probationis, seu
nouiatus annus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93480](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93480)

etiam adtingi potest, quod ex vi huius ingreſſus persona etiam gaudet privilegio fori, quia pro tunc persona Ecclesiastica reputatur. Et ideo Sixtus V. in prædicta Bulla de illegitimis, postquam quorundam criminorum receptionem in religione irritam fecit, declarat iudices seculares in eos retinere potestatem, supponens non esse illam habituros, si receptio valida fuisset. Sed de hoc privilegio videri possunt quæ diximus in defensione fidei lib. 4. de immunitate Eccles. cap. 29. Denique inter hos effectus possunt multa alia numerari, quæ ad statum novitium pertinent, & melius tractabuntur inferius.

CAPVT XII.

Utrum ante professionem necessarius sit integer probatio- nis, seu novitatus animus.

Inter primum religionis ingreſſum (de quo huc- usque in hoc libro egimus) & secundum, quæ sit per professionem, mediat tempus probationis, de quo proinde consequenter dicendum est, an, & quantum necessarium sit, & qualis in eo debeat fieri probatio ad reliqua, quæ ad actiones illius tem- poris spectant.

De religione vero, seu statu religioso agere pos- sumus, aut stando in solo diuino iure, & sic certum est, nullam determinatam probationem necessa- riam esse ad religiosum statum assumendum, neque duplicem ingreſſum; sed solum fuisse requisitam examinationem diuinæ vocationis, & personæ, & aliarum circumstantiarum, quæ pro negotii qua- litate prudentis viri arbitrio sufficiens videretur. Quæ deliberatione facta posset quis statim admitti ad statum religiosum sine alia dilatione; quia de hac re nullum est diuinum ius scriptum aut traditum, neque ex sola ratione posset aliquid certum in hac parte colligi. Vnde si consideretur hic status, vt extra congregationem aliquam, & absque determi- natione ad certam regulam, olim assumi pote- rat, & solebat vel in aliquibus Virginibus sacris, vel in eremitis, & solitariam vitam agentibus; ad il- lum nullus novitatus proprie dictus, nulla certa probatio esse poterat necessaria; totum enim hoc committendum erat arbitrio Episcopi, vel eius qui potestatem habebat admittendi oblationem. Proprie ergo videtur requiri hæc probatio per novitatu- m in statu religioso conobitico, & congregatio- nis religiosa. De qua agens Basilus (qui primus antiquam monachorum viuendi rationem ad me- liorem formam rediit, magisque religioni con- gregentem, vt in eius vita refertur) ille ergo in reg. fusi. disputat. regul. 10. de hac re differens ait, eos, qui recipiendi sunt, ad idoneas exercitationes duci debere, & adhibito temporis spatio, grauiori- busque impostis laboribus, periculum esse facien- dum de illorum natura, constantia, &c. Videtur tamen ibi sentire totam hanc probationem extra re- ligationem fuisse faciendam, nam subdit, *sin minus dum adhuc extra sunt, repudemus, neque ex istiusmodi peritulatione diuinitum vltum in fratres redundet.* Vi- detur ergo loqui de probatione ad primum ingreſ- sum, quamquam in fine subdat, si ex hac probatione constet, personam esse dignam, tunc debere adscri- bi, ad illorum numerum, qui seipos Domino consecraverunt. Vnde colligi potest, illo tempore non fuisse neces- sariam probationem intra religionem, & in habitu illius ante professionem. Inferius vero regula 15. dicitur late idem Basil. de pueris educandis in mo- nasterio ante professionem, non tamen declarat in quo habitu essent educandi, nec illam educatio- nem ponit vt necessariam viam ad professionem, sed pro illis tantum pueris, qui ante perfectum ra-

tionis vsum religioni à parentibus offerebantur. Idem autem Basil. in regul. breuior. in 95. nouitios in monasterio suo tempore fuisse supponit, & in reg. 97. non solum ait esse admittendos, qui volunt religionem experiri, sed etiam eum, qui solum vult recipi vt aliquo tempore proficiat, quod tamen mo- do in vfu non est. Ex his ergo constat etiam in con- gregatione religiosa nullum certum probationis tempus, aut modum esse ex natura rei, aut ex diui- no iure definitum, quod ex sequentibus iuribus constabit amplius.

Alio ergo modo considerari hoc potest de iure positiuo, & sic certum est, requiri ante profes- sionem definitum probationis tempus; hoc tamen ius non vnum semper fuit, & omisso priuato religio- nis statu, de quo nihil reperio fuisse vnquam deter- minatum, ac definitum in cæteris religiosis; aliqui existimant olim fuisse necessarium triennium, & postea biennium ad probationem, iuxta caput si quis inognitus 17. quæst. 2. & caput Monasterii 19. quæst. 3. Veruntamen in illis iuribus neque est vniuersalis sermo de omnibus recipiendis, nec constat, an sit sermo de probatione ad professionem, vel ad pri- mam habitus collationem. Prima ergo determi- natio huius temporis fuit ad probationem vnus anni, & prius videtur iure proprio, & priuato religio- num hoc fuisse introductum, vt patet ex regula B. Benedicti cap. 58. postea vero iure communi re- ceptum est, vnde Alexander II. in cap. Gonsaldus 17. quæst. 2. *Quia & Beati Benedicti regula, & præcipue pa- tris, & prædecessori nostri Sancti Gregorii canonici in si- tu interdici mona. huius ante vnus anni probationem efficit, iudicamus, &c.* Quod ius confirmatum postea est in cap. ad Apostolicam, de regulat. & cap. non solum. eodem titulo in 6. Et hoc etiam retinet nunc Ecclesia stando in iure communi, & specialiter renouatum est in Tridentino sess. 25. cap. 19. de regulat. & cap. 16. statuit, vt probatio vltra annua non differatur, & solum excipit Societatem Iesu, de qua postea di- cemus, nunc solum ius commune explicamus, quod constat esse generale.

Veruntamen in necessitate huius temporis etiam fuit varietas. Nam Sanctus Benedictus statuit quidem, vt tempus illud iuxta regulam esset neces- sarium, non tamen declarauit quanta esset illa neces- sitas, nec an professio aliter facta esset inualida. Nec etiam Alexander I. aliquid in hoc distinte decla- rauit. Alexander autem III. in cap. ad nostram, de regu- lar. declarat, professionem ante annum probatio- nis factam, esse nullam, nisi is qui illam emisit, intra triduum penitentia signa ostenderit, factum re- tractando; in cap. vero ad Apostolicam, eodem titulo, dicitur, si religio, & novitius suo iuri renuntient, velintque probationis tempus breuius esse, posse id facere, quia id tempus in fauorem vtriusque par- tis concessum est, vnusquisque autem potest fauori suo renuntiare. Vnde in eo casu professio antea fa- cta valida iudicatur; imo etiam in ipso primo ingreſſu prædicto modo fiat, quia qua ratione potest pars anni ex consensu mutuo prætermitti, potest etiam totus, & ita habetur in cap. constitutionem, de regulat. in 6. Tempus ergo vnus anni non erat iure antiquo simpliciter necessarium, sed tantum sub ea conditione, nisi religio, & nouitius renuntiant iuri suo; sub illa vero erat simpliciter necessarium, adeo vt professio antea facta esset nulla, vt ex eis- dem iuribus colligitur. Quapropter si per quacun- que coactionem cogeretur nouitius antea profice- re, professio esset nulla, quia qui loquitur, non ced- it iuri suo: idemque, si per ignorantiam facti vel iur- is probationis integrum tempus omitteretur: in quo erant nonnullæ differentia inter professionem

3. *Affertio se- cunda*

Ex iure po- sitiuo cer- tum pro- bationis tempus

3. *Determi- natio ad annum probatio- nis facta est, & que- modo.*

4. *Quid de necessitate huius anni d. condonare.*

5. *Affertio 1. Tempus vnus anni ex iure an- tiquo non erat simpli- citer neces- sarium.*

explic.

